

prægnantem, ex quo sequitur abortus; parentes, suffocantes infantem in lecto; hominem fortuito occidentes, funda lapidem in eum conjicientes, etiam ludendi causa. Hinc sancitum fuit in *c. fin. de hom. in 6.* irregularem effici, qui mandarit aliquem verberari, licet prohibuerit occidi, si mandatarius occidat.

27. Quod si opus illicitum sit quidem periculosum, sed leviter tamen, ita ut non nisi raro ex eo mors oriat, ab homicidio excusatur, qui ei dat operam, debitam diligentiam adhibendo ad vitandam mortem. Itaque in foro saltem conscientie reus homicidii non censetur Clericus, qui casu necaret hominem in venatione ferarum, alias ei prohibita. Idem dico de adultero, qui occidit maritum aggressorem in defensionem vite sue cum moderamine inculpatæ tutelæ. An autem is irregularitati subjaceat, disputant DD. Censeo, illum subjectum esse, si ita ad feminam accedat, ut periculum invasionis prævideat proximum; & facile; secus vero si caute adeat, ita ut nullum, aut remotum tantum prævideat periculum. Eodem modo distinguendum est circa irregularitatem adulteri, si vir, cognito adultero, uxorem occidat. V. Sporer, & Roncaglia de Censuris.

#### CAPUT IV.

##### De Duello.

28. Duellum est duorum, vel subinde plurium certamen, uno indicente, & altero acceptante susceptum, certo loco, die, ac tempore

mutuo consensu assignatis. Quod si fiat auctoritate Principis ad justum bellum conficiendum, licitum est, cum non minus liceat ex justa causa pugna inter paucos, quam inter multos milites. Sic David, consentiente Saule, contra Goliath pugnavit privato certamine. Sed non licet Ducibus, permittere duella militibus ad ostentationem virium, vel ad privatam ipsorum vindictam, cum non sint domini vite militum, nec nisi ob bonum commune possint milites objicere mortis periculo. De cetero duellum proprie, & stricte sumptum est illud, quod fit a paucis privata auctoritate.

29. *Quæst. 1.* An liceat duellum ad indagandam veritatem, vel justitiam, vel ad purificationem criminis? R. neg. quia hujusmodi via fallax est, & superstitiosa ad eum finem, cum etiam innocens occidere possit, & occidi. Hinc talis purgatio prohibita est jure Civili, & Canonico, ut constat ex Later. c. 1. *de Torneam.* & c. *de purg. vulgari*, & ex Trid. Ses. 25. c. 19. ubi dicitur, *detestabilem duellorum usum, fabricante diabolo introductum esse, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur.*

30. *Quæst. 2.* An liceat duellum suscipere ad vitandam infamiam? R. neg. quia apud bonos, & prudentes viros honore non perdit, qui duellum recusat, ut Divinis, & humanis legibus obtemperet. Nec curandum est quodcumque falsum dedecus, quod inde apud improbos redundare possit, cum vera gloria sit *sequi Dominum*, ut Eccl. 23. dicitur. Unde merito ab Alex. VII. damnata est hæc prop. *Vir equestris ad duellum*

provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. Nihilominus probabiliter sentit cum aliis Cuniliatum, virum nobilem, ab alio provocatum respondere licite posse: Ego ut Christianus non possum acceptare duellum, tamen paratus sum ad me defendendum contra injustos invasores.

31. Ut alias quæstiones, quæ de hoc argumento oriri possunt, facile solvas, habendæ sunt præ oculis propositiones quinque, damnatæ a Bened. XIV. in Const. quæ incipit: *Detestabilem*, datam 13. Nov. 1752.

I. *Vir militaris, qui nisi offerat, & acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se, suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debita, ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa, & pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.*

II. *Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humane vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.*

III. *Non incurrit Ecclesiasticas pœnas contra duellantes latas dux, vel Officialis militiæ, acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ, vel officii.*

IV. *Licetum est in statu hominis naturali, acceptare, & offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit.*

V. *Asserta licentia pro statu naturali ap-*

*plicari etiam potest statui Civitatis male ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia Magistratus, justitia aperte denegatur.*

Nota ab Alex. VII. proscriptam fuisse hanc prop. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo certo imminet inibna sententiâ, si alia via non potest innocens damnum evitare.*

32. *Quæst. 3. Quænam sunt pœnæ duello impositæ? Tres omnino a Trid. intelliguntur Ses. 25. c. 19. Excommunicatio ipso facto incurrenda, & Pontifici reservata, quæ non solum ipsos pugnantes comprehendit, sed etiam eorum fautores, & ut vocant, Patrinos, atque etiam spectatores, scilicet eos, qui sua præsentia quodammodo approbant, & animant duellantes, ut explicant Trid. interpretes. 2. pœna est bonorum spoliatio cum infamia perpetua, quæ tamen pœna ubique non est recepta. 3. privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, si in ipso duello decesserint, & quidem ex bulla Ben. XIV. etiamsi Sacramenti decesserint. Quæ solum eos comprehendit, qui moriuntur in duello stricte sumpto, designatis loco, & tempore, & armis; non vero ex conflictu improvise.*

## CAPUT V.

### De Bello.

33. *Quæst. 1. Quando licitum sit bellum? R. 1. bellum defensivum, non solum publica, sed etiam privata auctoritate licitum est; unus-*

quisque enim jus habet naturæ, ut vim vi repellat, quando id aliter consequi non potest. Bellum autem offensivum, ut liceat, tres conditiones requirit. 1. ut geratur auctoritate Principis. 2. ut adsit justa gerendi causa; v. g. necessitas boni communis, & tranquillitatis publicæ conservandæ, recuperatio injuste ablati, coercitio rebellium, defensio innocentum, cetera. 3. ut fiat recta intentione, non ex odio; quamvis si hæc desit conditio non sit obligatio restitutionis. Et licet ex utraque parte non possit esse justitia, fieri tamen potest, ut neutra pars peccet ob bonam fidem utriusque.

34. *Quæst. 2.* Quid agere debeat Princeps, antequam bellum inferat? 1. tenetur peritos adhibere Consiliarios, qui omni studio partium deposito causæ justitiam examinent. 2. perspecta justitia belli, debet ea proponi adversario, qui si, ut par est, satisfaciatur, non debet inchoari bellum, vel inchoatum continuari. Imo fieri potest, ut a bello justo Princeps Catholicus abstinere debeat aliquando, si inde oriturum sit scandalum, & spiritualis ruina multorum, aut grave detrimentum Ecclesiæ. 3. tenetur stipendia militibus solvere, & compensare damna, quæ occasione belli innocentes injuste acceperunt. Non potest autem Princeps cum sola ratione, aut justitia probabili alteri possidenti bellum inferre. Quicquid enim multi Theologi dicant, censeo cum Layman, hæc esse legem Canonicam, etiam a Regibus observandam, neminem posse expoliare alterum bona fide possidentem, nisi habeat certitudinem sui juris. Atque ut bene a-

nimadvertit Roncaglia, bellum communiter talia secum fert scelera, & damna Religioni, innocentibus, honori mulierum, cetera. ut practice vix unquam justum videri possit, nisi ex rationibus certis inferatur.

35. *Quæst. 3.* An liceat Catholico principi in bello contra alium Principem item Catholicum, Hæreticorum, aut infidelium auxilium evocare? Affirmat communis sententia, probatque exemplo Judæ Machabæi, qui foedus inivit cum Romanis, ut traditur 1. Machab. 8. Excipe, si periculum sit scandali, sacrilegiorum, & gravis detrimenti Catholicæ Religionis. Quod periculum cum satis frequens sit, ubi hæretici, & infideles pugnant contra fideles, ideo multi existimarunt, non esse practice licitum, societatem inire cum hostibus fidei.

36. *Quæst. 4.* Quænam sunt militum officia in bello gerendo? R. 1. si milites sint subditi Regis bellum inferentis, tenentur ipsi obedire, nisi certo constet de injustitia belli. Ita in c. *Quid culpatur*, dist. 23. q. 1. ubi S. Aug. disertè docet: *Vir justus si forte sub Rege, homine etiam sacrilego militet, recte potest, illo jubente, bellare, si quod sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel utrum sit, certum non est.* Secus vero dicendum de non subditis, qui nequeunt militare, nisi certi fiant de justitia belli; quia cum agitur de damno alterius, nequit illud inferri, nisi constet de injustitia possidentis. De militibus autem stipendio conductis idem dicendum, quod de subditis, si aperte bellum sint conducti; alioquin si post indi-

etum bellum conducantur, debent fieri certiores de justitia belli; cum enim subditi Principis non sint, non possunt in favorem illius præsumere ad deponendam dubitationem, nisi prius inquirent; contra ac evenit in subditis, qui possunt, ac debent præsumere pro suo Principe, cui tenentur obedire, quando eis contrarium non constat.

37. R. 2. Duces, Tribuni, cet. tenentur 1. tot secum habere milites, quot in solutione stipendii exhibentur; alias obligantur ad restitutionem. 2. debent ex munere suo comæatum procurare, ne cibi dentur militibus corrupti, unde morbi oriantur. 3. stipendium suo tempore dare militibus, ne ab innocentibus necessaria ad victum extorqueant. 4. impedire militum scandala, & injustas prædas, præsertim spoliationes, & profanationes Ecclesiarum, nisi inimici Ecclesii utantur velut castris, quia tunc licebit eas oppugnare, & incendere.

38. *Quest. 5.* Quid liceat militibus in bello? R. Ea omnia, quæ ad finem belli justî sunt necessaria, v. g. occidere, spoliare, cet. Innocentes autem, qui arma gestare non possunt: ut pueri, Clerici, feminae, senes, cet. non possunt vita, aut bonis spoliari; indirecte tamen id licet, si aliter finis belli obtineri nequit. Contra hostes licet uti insidiis, & stratagematis, ut iis usus est Josue; quia non sunt mendacia, sed veritatis occultatio. Non licet tamen uti insidiis, quæ sunt contra jus gentium, & quæ cavere nullo modo possunt, ut veneno inficere puteos, aquas, cibos, cet. Capti in bello fug-

re possunt, nisi obstet juramentum, vel promissio. Hostibus autem fides servanda est, nisi omnino coactus dederis, aut cedat in damnum Reip. vel Religionis; vel hostes ipsi fidem prius frerint.

39. *Quest. 6.* An capta Civitas possit dari militibus in prædam? R. neg. nisi gravis necessitas urgeat, propter gravia scelera, quæ in iis deprædationibus perpetrari solent. Quod si justis de causis deprædatio fiat, obligantur duces, cavere mala, quæ prudenter vitari possint. Militibus autem privata auctoritate nequeunt prædas agere, aut hostium bona usurpare; nec possunt ab iis, apud quos hospitantur, aliquid extorquere præter ea, quæ ex constitutione Principis illis debent subministrare, nisi in gravi, aut extrema necessitate. Bona autem ab hostibus erepta, vel immobilia sunt, eaque cedunt Principi, vel mobilia, eaque sunt capientis, nisi aliter leges, aut consuetudo præscribant. Verum ea, quæ in bello injusto ablata sunt. Domino restitui debent.

40. *Quest. 7.* An, & quomodo liceat, uti represaliis? Licent his tantum conditionibus. 1. ut constet, cives alterius Reip. fecisse injuriam. 2. ut nolint administrare justitiam, & injuriam illatam resarcire, cum possint. 3. ut Princeps supremus, causa cognita, represaliis uti concedat. 4. ut non inferatur plus damni, quam justa satisfactio requirit. 5. ut non fiant in personas, & bona Ecclesiastica *ex c. ult. de injur. in 6.*